



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 1. Lutheranorum molimina de Græcis ad suam sectam pertrahendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ
LIBER CLXXIV.

GREGORIUS XIII. PONTIFEX MAXIMUS,
MAXIMILIANUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Lutheranorum molimina de Græcis
ad suam Sæctam pertrahendis.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1574.

*Spond. An-
nal ad hunc
ann n 16.
Emanuel
Malax
Possev.
Melchior
Adam in vit
German.
Theolog.*

Hoc anno Germaniæ Protestantes spurio suæ sectæ Zelo animati rursus rem aggressi sunt, quæ tamen jam anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono eis male cesserat; quippe Græcos sollicitabant, ut & ipsi eorum doctrinæ suffragarentur: eapropter denuo Confessionem Augustinam transmittabant ad Jeremiam, qui duobus abhinc annis Græcus erat Patriarcha Constantinopolitanus: huic autem confessioni simul adjiciebant præfationem, qua jactitabant, quod septem primorum Conciliorum fidem sequerentur: verum insuperhabitis cunctis sollicitationibus, quibus Patriarcham

cham urgebant, nihil ab eo impetrare poterant: quinimo hic eis minitabatur, quod tunc, si ab importunitate sua desistere nollent, eorum quoque errores refellere velit: insuper eisdem exprobrabat, quod temeritate haud toleranda sibi persuadere auderent, quod ipsi magis scirent, quam vetus, novaque Roma, simulque primitivæ Ecclesiæ Theologos, qui tamen eis re ipsa adversantur, ore tenus duntaxat honorarent, ac nonnisi eorum argumenta eludere niterentur.

§. II.

Jeremiæ Patriarchæ scriptum contra Lutheranos.

Enimvero Patriarcha, quæ comminatus est, brevi opere explevit; scripsit enim græco idiomate contra Protestantes quemdam librum, quem Stanislaus Socolvius Stephani Bathorii Poloniæ Regis Theologus latine reddidit, sub titulo: *Censura Ecclesiæ Orientalis*. Ibi Jeremias singulos Augustanæ Confessionis articulos confutabat, atque inter alia illius Sectatores his verbis alloquebatur. „Vos nonnisi quædam Sacramenta admittitis, imo & hæc multis erroribus contaminatis, cetera autem tanquam traditiones non modo in sacris literis non contentas,

P 2

„sed